DE FASCIIS ABDOMINALIBUS PUERPERARUM.

DISSERTATIO

INAUGURALIS OBSTETRICIA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XXX. M. DECEMBRIS A. MDCCCXXXIX.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

SIGFRIDUS RINTELN

DETMOLDENSIS.

Opponentibus:

B. ROSEN, med. et chir. Dr.
H. WOLLHEIM, med. et chir. Cand.
J. HIRSCH, Jur. utr. Stud.

BEROLINI,

TYPIS NIETACKIANIS.

PATRI OPTIMO

EMANUELI RINTELN

ET

FRATRI DILECTISSIMO

JACOBO RINTELN

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Magno cum gaudio artis studio obstetriciae per vitam meam academicam operam dedi, eamque disciplinam diligentius ut colerem, excitatus sum praelectionibus scholisque clinicis praeceptoris mei summe venerandi, Ill. Busch, quibus per tria semestria interfui. Itaque dissertationis inauguralis quoque argumentum ex hac scientia eligendum mihi proposui. Sed quum diutius de ipso argumento incertus essem, operae pretium habui, de fasciis abdominalibus puerperarum scribere, qua de re, quamquam varia egregiis scriptis artis obstetriciae illustrata sunt, nullum tamen compendium in lucem editum esse credere possim. Quam ob rem si

conatus sum, quae hac de re dispersa aguntur colligere ordineque disponere, quaeque ipse sentiam, addere, precor eos, qui haec legant, ut benevolenter velint judicare et indulgere homini in tirociniis adhuc haerenti. Meum propositum eò magis perducere potui, quia meae voluntati humanitas et indulgentia viri doctissimi F. J. Behrend, medici practici Berolinensis, succurrit, qui pro consueta erga omnes benevolentia, literaturam Anglicam, e qua plurima hausi, mecum communicavit.

LIBRI EVOLVENDI.

Mauriceau, Traité des maladies des femmes et de celles, qui sont nouvellement accouchées. Paris 1668.

Ejusdem, Aphorismes touchant la grossesse, l'accouchement, les maladies des femmes. Paris 1694.

De la Motte, Traité complet des accouchemens naturels, non naturels et contre nature. Paris 1721.

Levret, L'art des accouchemens, demontré par des principes de physique, pour servir d'introduction et de base à des leçons particulières. Paris 1751.

Osiander, Beobachtungen, Abhandlungen u. Nachrichten, welche vorzüglich Krankheiten d. Frauenzimmer betreffen. Tübingen 1787.

v. Siebold, Lehrbuch d. theoretischen Entbindungskunde. Leipz. 1803—4., und dessen Handbuch z. Erkenntniss und Heilung der Frauenzimmerkrankh. Frankf. a. M. 1811 u. 15.

Gardien, Traité d'accouchemens, des malad. des femmes et cet. Paris 1807.

Joerg, diätetische Belehr. für Schwangere, Gebärende u. Wöchnerinnen. Leipz. 1812., und dessen Handb. d. Geburtsh. Leipz. 1820.

Denman, An introduction to the practice of Midwifery. Lond. 1816.

Gooch, On the diseases of women.

Stein jun., Lehre d. Geburtsh. als neue Grundlage des Faches. Elberfeld 1825. u. 27.

v. Froriep, Theoretisch-practisches Handb. d. Geburtsh., z. Gebrauche bei akademischen Vorlesung. 9 Aufl. Weimar 1833.

Velpeau, Traité complet de l'art des accouchem. Paris. 1835.

Busch, Lehrb. d. Geburtsk. 3. Aufl. Berlin 1836.

Carus, Lehrb. d. Gynäkol. 3. Aufl. Leipz. 1838.

Collins, A practical Treatise on the Midwifery, containing the result of 16654 Births occuring in the Dublin Lying-in-Hospital during a Period of seven Years. Lond. 1836.

London Medical Gazette for August and Septembre 1836, for Juny and July 1838.

Stark, Anleit. z. chirurg. Verbande. Jena 1830.

§. 1.

Scriptores et medici artis obstetriciae ad multas gravidarum et puerperarum molestias sublevandas fasciae applicationem abdominalis commendaverunt, sed indicationes, quibus ea imponenda sit, non satis constituerunt, nullo modo de remotis et proximis effectibus ea provocatis consentiunt, de tempore quoque et ratione imponendi dissentiunt; unusquisque medicus alio vel alio modo, ut sibi placet, ea utitur. Sunt, qui ejus applicationem aegrotae prodesse credant, alii indifferentem esse dicunt, alii autem, nocere. Nonnulli in primis jam doloribus parturientium imponendam esse probant, alii post velamentorum rupturam, alii inter partum et placentae expulsionem, maxima pars post secundinas expulsas, Mauriceau consilium dat, totum diem

exspectare, antequam imponatur, et Denman denique quinque vel sex dies post partum. Sed non solum de tempore, sed etiam de ratione applicandi auctores maxime inter se differunt, nam modo modice paulumque relaxe, ut parietibus abdominalibus adminiculum aptum detur, imponitur, modo tam adstricte, ut uterus cum parietibus abdominalibus maxime comprimatur, modo loris, ut fascia hernalis, affigitur.

Magis quoque de indicationibus, quibus imponenda sit, dissentiunt. Magna medicorum pars ea utuntur, ut voluntati et vanitati aegrotae sufficiant, quae applicationem poscit, ad symmetriam formae servandam, altera pars, ut parietibus abdominalibus multipararum, multis partubus jam relaxatis, adjumentum dent. Alii, ut uteri contractiones augeantur simulque ne haemorrhagia puerperis incidat, vel ut dolores, secundinis expulsis, diminuantur, vel ne syncope ingrediatur, vel ut ab aegrota multa mala avertantur, quae e mutatione subita in sanguinis circulatione oriri solent, quibus, praeter supra relata, inflammatio uteri, disturbationes hepatis functionales intestinorumque, et febris puerperalis adnumerandae sunt.

§. 2.

Ex his intelligere possumus, quot in malis fasciae applicationem ab auctoribus, et quidem illustrissimis et doctissimis commendatam esse et quantam opinionum differentiam inter eos exstare. Itaque nobis propositum est, primum ejus effectus constituere, et ex his indicationes et contraindicationes hujus remedii colligere. Essentialis autem fasciae hujus effectus esse videtur, ut, pressione in fibras musculares uteri, contractiones concieat, quum pressionem ad contractiones in musculis excitandas maximum irritamentum esse cognitum sit; deinde, ut parietibus abdominalibus per graviditatis tempus relaxatis adminiculum praebeat simulque ut cavitatem abdominalem diminuat; denique ut impediat, quominus sanguis ad vasa abdominalia et uterina, foetu premente debilitata, post partum turbide affluat. Nunc difficile non est, ex his indicationes et contraindicationes statuere, et consilium cepimus, sequentibus in pagellis singulos casus enumerare, in quibus fasciam utilem, dein in quibus noxiam esse credimus; simulque, quo tempore et quo modo adhibenda sit, addere.

§. 3.

Maxime sane scriptores in haemorrhagiis fasciam commendaverunt, opinione ducti, eam quamcunque puerperarum sanguinis effusionem ex utero retinere et sedare, seu recidivae ejus praevenire posse; quae quum res maximi momenti sit, non ineptum est, eam prius uberiusque tractare.

Medici plurimi causas, quibus haemorrhagia provocatur, non respiciunt, censentque eam fascia supprimi posse. Sufficit iis, singula exempla referre, in quibus, fascia adhibita, haemorrhagia orta non sit, aliaque iterum, in quibus puerperae ea non cinctae haemorrhagia sint affectae, et tum ex his argumentari, fasciam ad haemorrhagiam avertendam semper imponendam esse. Quibus vero consentire nequimus, quia inter feminas humilioris generis, quibus fascia ob rerum angustias imponi non potest, numerum haemorrhagia morientium non majorem esse videmus, quam inter illas nobilioris ordinis, quae fascia semper utuntur; deinde quia multae aliae causae adesse pos-

sunt, quae in alia eam provocarunt, in alia retinuerunt. Hugh Ley, medicus Anglicus, affirmat (1), se saepe vidisse, haemorrhagiam puerperis incidisse, si fascia convenienter imposita esset, easque ejus impetum effugisse, si ea non uterentur; atque e suis observationibus profert, hoc malum, ubi ex irregularibus uteri contractionibus ortum sit, fasciae pressione augeri. Mauriceau (2) jam dehortatur, ne in haemorrhagiis saepius imponatur.

Busch (3) haemorrhagiarum post partum causas optime exponens dicit: in haemorrhagiis tantum, quum ortae sint uteri atonia, fasciam commoda afferre, ut contractiones promoveantur; et per se quoque patet, quum plethora et convulsione uteri ortae sint, nocere atque malum augere, si ad effectus, quos fascia evocat, respicimus.

Opinionem doctissimi Hugh Ley jure collaudandam esse credo in eo, quod dicit: Fascia abdomini imposita nos impedit, quominus uteri

(1) Observations on the prevailing practice of forcibly compressing the abdomen of lying-in-women. London Medical Gaz. for August 1836.

(2) Traité des malad. des femm. Chapit. V. Livr. III.

(3) Lehrbuch der Geburtskunde. 3 Aufl. §. 503—514.

statum satis intelligamus et aptiora remedia ad haemorrhagiam sistendam adhibeamus; abdomine enim vestibus et fascia non circumdato, optime recognoscere possumus, num regularis an irregularis contrahatur uterus, neque solum necesse est, durus et paullum extensus sit, sed etiam regularis in superficie; saepe enim observatur, puerperam, si superficies uteri irregularis sit, impetu vel recidiva haemorrhagiae non carere, quia contractiones irregulares et partiales sunt, isque status fascia levari non potest.

Sed etiamsi concedimus, nonnullis haemorrhagiarum casibus et quidem atonia uteri ortarum fasciam utilem esse, negari nequit, pressionem frictione provocatam, quum quidem uterum per parietes abdominales manibus fricemus, majorem effectum quam continuam pressionem promovere. Et scriptores ipsos, qui maximi defensores fasciae abdominalis sunt, ut Gooch (1) et Collins (2), non permultum ad haemorrhagias sistendas ei confidere, elucet, quod plurima alia remedia ad medelam istius mali ab iis proposita sunt, ut aquae frigidae superinfusiones in regio-

(1) Gooch, on the diseases of women. p. 352.
(2) Collins, Practical Treatise. p. 153.

nem uterinam, injectiones in vaginam, frictiones cum manibus et aortae abdominalis compressio; nonnullaque horum remediorum, fascia abdomen circumdante, bonum effectum proferre non possunt.

Quum igitur effectus ejus ad haemorrhagiam supprimendam dubius sit, quum ea nos impediat, quominus uteri statum accuratius recognoscamus, remediaque meliora applicemus, quum mechanicam irritationem in uterum exerceat, qui plerumque jam in statu congestionis, forsan etiam irritationis sit et ob eam rem ad inflammationem inclinatior, quum denique inepte imposita eundem morbum procreet, cui praevenire debeat, opus est, cautissimi simus in ejus applicatione.

In haemorrhagiis tamen magna ex parte remissis, eam commodum nonnunquam praebere, concedendum est. Pressionem manibus quidem excitatam similem vel etiam meliorem effectum quam fasciam promovere posse, supra jam commemoravimus; manus autem mox fatigantur hoc in munere, et gradus contractionis, qui necessarius est, continuari non potest, et interrumpitur, haemorrhagiaque intrat, aut, si momento temporis remisit, uterus continuo extenditur; fascia autem imposita, medicus, postquam aegrotam per aliquod

tempus observavit, neque haemorrhagia intravit, eam in statu securitatis relinquere potest; sin aliter, coactus esset per plures horas apud puerperam manere, nam etiamsi uterus pro tempore contractus est, in medici absentia extendi potest, quod apte imposita fascia impeditur. Sed aequaliter et uniforme adhibenda neque priusquam haemorrhagia jam maxima ex parte suppressa est; moderari enim potest, et efficere, ut sanguis in vagina accumuletur et ita facile evacuetur, sed haemorrhagiae perfectae supprimendae vim non habet; verum impedit, partim pressione, quam in vasa uterina maxime debilitata exercet, partim et praecipue contractionibus auctis in fibras uteri musculares, ne sanguis e minimis vasis per plures dies effundatur. Hoc loco etiam commemorandum est, placentam saepe diu uteri atonia deficientibusque doloribus retineri, et tum maximae utilitatis esse, fasciam post partum imponere, quam rem Busch(1) et Fenner(2) nos docuerunt; pressione uteri contractiones augentur et placenta expellitur. Fen-

---

(1) l. c. §. 431 et 434.

(2) On the best means of applying pressure to the uterus after delivery, Lond. Med. Gaz. for Juny 1838.

ner saepe sibi occurrisse narrat, ut secundinae atonia uteri per plures dies retentae, fascia imposita statim expulsae essent propriis musculorum uteri viribus, neve necesse fuisset, ne manum quidem in uterum introducere.

§. 4.

Magnae gravitatis fasciae applicatio mihi esse videtur ad syncopen prae cavendam et ad hoc propositum eam crebro in praxi negligi credam. Praecipue autem aptissima erit in iis feminis, quibus magna uteri extensio multo liquore amnii vel magno infante aderat, simulque partus acceleratus erat. Quibus in casibus eam utilissimam esse debere, e curationis analogia similium morborum, exempli causa in paracentesi ascitae intelligere possumus. Swietenius (1) jam explicat causam, cur in paracentesi ascitae et in puerperio fasciis utamur easque paulatim constringamus, scilicet ne syncope intret. In utroque autem casu facile oriri potest e mutata aequilibritate in sanguinis circulatione; nam pressione

(1) Van Swieten, Comment. in Aphor. Boerh.

subito remota, in puerperio infante expulso, in ascite aqua detracta, major sanguinis copia ad vasa descendentia affluit, minor quantitas ad magnum circulationis centrum, ad cor pulmonesque, et reficiendi sanguinis inopia cordis actio momento suspenditur, syncopeque sequitur. Ideoque quum, ut ipse saepe in ascitae paracentesi vidi, abdomini accommodatam fasciam imponamus paulatimque constringamus, similem pressionem excitamus quam aqua antea in abdomen exercebat, sineque ullo incommodo omnem aquam aegrotae deducere possumus, et nunquam syncope intrat. Quum autem eandem praecautionem in puerperis, quarum abdomen maxime extensum sit, adhibeamus, rarius syncopen accidere videmus. Utilitas fasciae hisce casibus dubitari non potest, sed opus est, pressio aequalis et uniformis levisque sit, ut visceribus vasisque abdominis id adminiculum detur, quo subito privantur; et statim post partum, simulac syncopen invadere credimus, imponenda est.

Haud dissimilia in gemellorum partu accidere solent; his in puerperis, quarum uterum maxime extensum invenimus, vasaque abdominalia tam compressa, ut per graviditatis tempus

oedema pedum et varices oriantur, syncope interdum post prioris infantis partum, praesertim quum expulsio ejus celeriter facta sit, oritur. Tum aptissimum est, statim post primum partum fasciam imponere; attamen hoc tantum in casu pressio inaequalis et non uniformis praeferenda est, nam eo consilio ea non utimur, ut musculi majorem energiam et tonum recipiant, sed ut contractiones uteri irregulares fiant et dolores ad partum alterum prolongentur, partusque retardetur. Busch (1) consilium dat, post omnes partus celeres statim fasciam imponendi, ut impressio celeris abdominis evacuationis evitetur.

§. 5.

Multi medici fascia utuntur, ut pulchra corporis forma puerperarum servetur (2). Abdominis parietes utero gravido aliisque causis, ut flatulentis et foeculentis accumulationibus e digestione turbata promotis, inopia musculorum motus et cet., maxime extensos relaxatosque esse, nobis confitendum est; quae permagna extensio

(1) l. c. §. 243.
(2) Velpeau, traité de l'art des accouchemens. tome II. p. 601.

et relaxatio ut perhibeantur organaque paulatim contrahantur, fascia adhibenda est, sed non statim post partum; potius tam diu nobis exspectandum est, quam puerpera vestes sordidas, in quibus partum edidit, deposuit et quieta in lecto jacet. Compressio fortis et valida esse non debet, sed modica et aequalis, quum consilium habeamus, ut relaxati parietes abdominales uterusque sensim contrahantur et priorem formam recipiant. Auctores quoque fere omnes consentiunt de bono ejus effectu his in casibus neque inutile erit varias eorum opiniones referre.

Mauriceau (1) dicit: Libenter approbo modicam fasciae applicationem post partum, ut partes, maxime graviditate extensae, ad priorem formam reducantur, sed moderate et aequaliter adhibenda est, et non adstricte, quia tum non solum abdominis extensionem auget, sed etiam uterum in cavitatem pelvis deprimit.

Osiander (2) refert: Post partum eam utilitatem praebet, quod relaxatorum parietum

---

(1) l. c. livr. III. chapitr. II.

(2) Frauenkrankheiten p. 159. und Handbuch der Entbindungskunst B. II. §. 174.

abdominalium contractiones auget, molestiasque evitat, quas relaxatum abdomen producit, et formam virgineam puerperae restituit. Jörg (1) hoc commemorat: Multae puerperae fasciam certum remedium considerant, ut gracilitas et tenuitas regionis abdominalis restituatur, et poscunt, ut citissime et adstrictissime imponatur, quod vero noxium est, quamquam utilitas fasciae apte et modice cinctae agnoscenda est. Busch (2) hanc profert opinionem: Puerperae, postquam vestes sanguine et sudore sordidas deposuit, applicatio fasciae saepe superflua, interdum noxia est, si pressio fortis efficitur, sed praecipue commendanda est, si apte imponitur, feminis constitutionis lymphaticae.

Alii scriptores ut: de la Motte (3), Froriep (4), Siebold (5) idem sentiunt.

§. 6.

Multis quoque medicis persuasum est, fa-

---

(1) Diätetische Belehrungen für Schwangere et cet. p. 100. und Handbuch der Geburtshülfe §. 490.

(2) l. c. §. 308.

(3) Traité complet des accouchemens naturels p. 483.

(4) Handbuch der Geburtskunde. §. 400.

(5) Lehrbuch der Geburtskunde §. 355.

scia sensum molestum, qui parietibus relaxatis abdominalibus et pressione infantis subito remota producatur, mitigari. Blundell (1) dicit: puerperae sensum habent, ac si conquassentur. Expulso enim infante, qui ad hoc tempus pressionem in abdominis cavitatem exercebat eamque explebat, vacuitas quasi in abdomine oritur, quae hujus molestissimi sensus causa est; quum autem fasciam apte imponamus paulatimque constringamus, priorem supplemus pressionem.

Sed ad hunc effectum proferendum, necesse non est, puerpera ante partum vel statim post eum cingatur, sed aptissimum tempus est, quum vestes sordidae remotae sunt; neque licet abdomen valide premere, neque fortior in una directione quam in altera compressio esse debet, sed aequalis et modica circa totum abdomen.

Monendum est, illud munus mulieri obstetrici non committi, sed a medico ipso perfici, quum illa seu strictius seu relaxius eam accingat, seu in inepto quoque loco, neque fructus capiamus, quos nonnulli credunt, quum cuti ipsi fasciam imponunt; supra vestes potius imponen-

---

(1) Blundell, obstetricity p. 726.

dam esse censeo. Ex his, quae locuti sumus, judicandum est, fasciam apte et aequaliter cinctam in casibus supra commemoratis puerperis utilem vel benignam fieri posse; simul autem elucet, rationem tempusque adhibendae ejus maximam attentionem poscere. Nonnulli scriptores commodis ejus accensendum esse putant, inflammationem prae caveri posse, disturbationes functionales intestinorum et hepatis febremque puerperalem ipsam, quae ex mutata in sanguinis circulatione aequilibritate oriri dicuntur, quae opiniones tamen nimis speculativae et hypotheticae sunt, quam quae in praxi auctoritatem habere possint.

§. 7.

Contemplari restat, quomodo fascia abdominalis incommoda importet. Regula universalis: quo melius remedium esse, eo nocentius fieri posse, quum inepte applicetur, ad hoc quoque referri potest, quia multa incommoda producit, si fundum uteri maxime premit. Permulti medici et inter alios etiam Osiander (1),

---

(1) l. c. p. 159.

Gardien (1), John Chatto (2) et Fenner (3) opinantur, fasciam apte accommodatam dolores, quibus puerperae post secundinas expulsas laborare solent, diminuere. Sed dubitari potest, num hoc efficiat; nam quum respiciamus, quo hi dolores provocentur simulque ad fasciae effectum, elucebit, eam non solum dolores diminuere, sed augere debere, quia contractionibus tantum fibrarum uteri muscularium, ut ejus substantia priorem formam recipiat, producuntur. Qnamobrem primiparae, in quibus uteri substantia adhuc maxime evoluta est, his doloribus carent, multiparae autem, in quibus laxior et torpidior facta est, multaeque et validiores contractiones antecedere debent, antequam prior forma restituitur, iis valde laborant, praecipue post celeres levesque partus. Fascia autem eo consilio, ut cognitum est, adhibetur, ut fortiores et continuae contractiones provocentur, quae sane multis doloribus ansam praebent. Itaque patere videtur, his in puerperis abdomen

---

(1) Traité d'accouchemens tom. III. p. 236.

(2) Bandaging the abdomen after delivery. London Med. Gaz. for August 1838.

(3) l. c. p. 530.

non cingendum esse, quia malum non diminuitur sed augetur, et spasmos ipsos uteri progignere potest. Frictiones cum oleo hyoscyami et chamomillae in uteri fundo et fomentationes calidas aptiora remedia esse credo. La Motte (1) exemplum dat malorum ejus effectuum hisce in doloribus; puerpera, cui ob eam causam imposita erat et quidem strictissime, spasmis, febri et delirio affecta est, et lochiae supprimebantur.

§. 8.

Alius effectus, si uterus fascia maxime premitur, est, ut organon in pelvis cavitatem deprimatur. Sunt nonnulli auctores, qui credunt suadentque eam eo consilio adhiberi, ut prolapsus uteri prohibeatur. Osiander (2) dicit: feminae, quae ad uteri prolapsum propensae sunt, fasciam cum utilitate adhiberi possunt; et nonnulli recentiores scriptores ejusdem opinionis sunt. Sed Mauriceau (3) jam monet, magna ejus pressione non solum uterum ad priorem situm non reduci, sed ad ejus prolapsum occa-

(1) l. c. p. 94.
(2) l. c. p. 195.
(3) l. c. livr. III. chapitre II. et VI.

sionem dari. Omnes enim res, quae ejus pondus augent et in fundum premunt, e situ eum depellunt, descensumque facile efficiunt, ad quem prohibendum nobis magna attentio adhibenda est. Et quum reputemus, quot causae prolapsum uteri in statu sano et non debilitato saepe producant, ut magni corporis labores, contentio magna in tussi et sternutatione, intumescentia ovariorum, tumores sarcomatosi et steatomatosi in regione uterina, et polypi, pressione, quam excitant, per se patebit, post partum, quo tempore hoc organon relaxatum est, pressione valida fasciae fundo uteri impositae, praesertim quum ex inflexibili materia consistat et tam adstricte adhibeatur, ut vix ferri possit, descensum vel prolapsum uteri provocari seu augeri, sed non diminui aut prohiberi posse. Et medicis saepe sane occurrit, ut tractus ipse modicus in funiculo umbilicali hoc malum efficiat.

Mali demum mentio facienda est, quod originem suam ducit ex fascia inaequali modo imposita, alterius lateris majorem pressionem dico, quo fit, ut uterus ligamenta lata et rotunda, ovaria tubaeque Fallopiae, quae post partum jam in statu irritato sunt, inclinentur, in inflammationem

transeant et febrem puerperalem gignant. Inflammatio saepe in suppurationem et destructionem organorum transit, et post mortem ovaria in pulposam massam reducta et tubae Fallopiae pure in superficie et in substantia impletae inveniuntur. Interdum quoque uteri obliquitas progignitur, quae multas molestias affert et causa sterilitatis fieri potest.

§. 9.

Hi mali effectus, quos retulimus, non parvi momenti sunt, neque raro inveniuntur magnasque molestias provocant et valetudinem evertunt. La Motte (1), qui maxime illorum commemorationem facit, dicit: »Fasciae incommoda applicatio periculo multo conjuncta est; nam non solum uteri relaxatio augetur et prolapsus producitur, sed etiam lochiarum suppressio oriri potest.« Hae causae remotae applicationem fasciae modificent, tempusque et rationem adhibendi accuratius constituant, necesse est. Praecipue fascia adhibenda est, ut verbis scriptorum ipsorum utar: »dans l'intention de satis-

(1) p. 493.

faire une vaine coquetterie« (Velpeau); »to give a comfortable degree of support« (Gooch); »so as to give an angreeable support to the muscles« (Blundell); »and to diminuish the disposition to syncope« (Hugh-Ley). Gardien (1) regulas generales de fascia imponenda, breviter omnia continentes, quae de ea referri possunt, constituit: 1) Intestina adjuvet, non autem premat, necesse est. 2) Nunquam adhibeatur, quum dolores in abdomine adsint, aut quaedam ad inflammationem dispositio. 3) Tam laxe, quam fieri potest, imponatur.

§. 10.

Fasciae forma et materia, e qua paratur, non tam magnae gravitatis sunt, quam principia, quae ejus applicationem constituere debent. Attamen differentia opinionum hac de re quoque inter scriptores exstat. Nonnulli, ut Osiander (2) et medicorum Anglicorum plurimi, praeferendam esse censent, si ex inflexibili et rigida materia constet. Alii contra et inter hos

(1) l. c. p. 236. 237. 238.
(2) l. c. 156.

Culham (1) fasciam e flexibili et molliori substantia constructam meliorem esse putant. Illi e materia rigida paratam praeferunt, quia continuae et validiores contractiones concientur; hi e flexibili compositam, ne vehementissima pressio promoveatur, quae puerperae nocere possit. Fascia e lintea seu panno lanneo seu panno xylino constructa proposito optime respondere mihi videtur, ut parietibus abdominalibus et intestinis sufficiens adjumentum detur. De forma quoque ejus medici dissentiunt, sed sufficiat hoc loco commemorare, eam optimam esse, quae anteriorem totam abdominis partem a regione pubis usque ad umbilicum obtegat; pars anterior triangularem habeat formam, pars autem, quae ossa iliaca et dorsum circumdat, eam latitudinem, quae ad affigendam partem anteriorem necessaria est.

Quum vero fines hujus opusculi longe excederet, varias formas, quae ab auctoribus relatae sunt, enumerare, lectores benevolos, qui hac de re plura legere velint, rogatos habeo, ut horum scriptorum libros evolvant: Osian-

---

(1) Pressure on the uterus after delivery. London Med. Gaz. for July 1838, p. 642.

der (1), Joerg (2), Stark (3), Fenner (4) et Blundell (5), in quibus multae tabulae pictae variae formae inveniuntur.

Quum praecaute fascia utamur, utile remedium in arte obstetricia esse potest, et beneficium puerperis erit, sed inconvenienter et magna vi adhibita, majora incommoda quam commoda affert.

(1) l. c. p. 155–157.
(2) l. c. p. 28.
(3) Anleitung zum chirurgischen Verband. §. 272.
(4) l. c. p. 529.
(5) l. c. p. 726.

VITA.

Natus sum Sigfridus Rinteln Detmoldiae m. Maj. a. MDCCCXVI, patre Emanuele Rinteln, quem pio gratoque animo colo, matre Henrietta e gente Aschrott, quam ante duos annos morte mihi ereptam valde lugeo; fidei veteri addictus sum. Primis literarum elementis imbutus, Gymnasium Leopoldinum, quod Detmoldiae directore Cel. Falkmann floret, per septem annos frequentavi. Testimonio maturitatis instructus autumno anni MDCCCXXXV Berolinum me contuli, ibique in civium academicorum numerum a

Rectore magnifico Ill. Busch receptus, ab Ill. Müller, t. t. decano spectatissimo, albo facultatis medicae inscriptus sum.

Inde ab eo tempore per quadriennium his interfui lectionibus virorum illustriss. et celeberrimorum:

Cel. Werder de logice et metaphysice; Ill. Müller de anatomia generali et speciali, nec non de organorum sensuum anatomia; de physiologia generali et speciali, de physiologia generationis, nec non de anatomia comparativa; Ill. Schlemm de osteologia et syndesmologia; qui viri quoque duces mihi fuere in arte cadavera rite dissecandi; Ill. E. Mitscherlich de physice et chemia experimentali nec non de zoochemia; Ill. Lichtenstein de zoologia; Ill. Kunth de botanice; Cel. Burmeister de historia naturali; Cel. Ideler de anthropologia; Cel. Mitscherlich de materia medica; Cel. Nicolai de pathologia generali; Ill. Hecker de encyclopaedia et methodologia medica nec non de pathologia et therapia speciali; Cel. Ascherson de chirurgia generali et speciali; Cel. Kluge de ossibus fractis et luxatis; Ill. Casper de arte formulas medicas rite concinnandi; Cel. Romberg de diagnosi morborum pectoris; Ill. Busch de arte obstetricia theoretica et practica; Cel. Angelstein operationes ophthalmiatricas privatissime me docuit.

Exercitationibus clinicis medicis, chirurgicis, ophthalmiatricis et obstetriciis interfui per biennium: Ill. Busch, Ill. de Graefe, Cel. Ideler, Ill. Osann, Cel. Truestedt, Ill. Wagner, Cel. Wolff. Ad praxin infantium curandorum Cel. Barez me instituit.

Quibus omnibus viris illustrissimis, maxime de me meritis, plurimas habeo gratias.

Jam vero tentaminibus, tam philosophico quam medico, examineque rigoroso coram gratioso medicorum ordine rite superatis, nil obfuturum spero, quominus, dissertatione thesibusque defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Prior cordis sonus contractione ventriculorum, alter eorum dilatatione efficitur.
2. Febres essentiales non esse, contendo.
3. Auscultatio et percussio thoracis et ad diagnosin et ad curam morborum pectoris maximi sunt momenti.
4. Operatio scirrhi vel carcinomatis non est rejicienda.
5. Punctio vesicae urinariae supra arcum ossium pubis praeferenda est punctioni per intestinum rectum.
6. Necatio infantis ante septimum mensem editi nihilominus infanticidium est.
